

peccationem omnem superabat; nempe imminenti Regnorum Samaritæ, & Damasci excidii atque Judaicæ liberationis. En, inquit, prodigium.

Ut has difficultates eluamus, quædam in præsentia constituenda sunt; quæ maximi esse momenti arbitramur, oraculorum sensibus promendis; nimirum Prophetis solemne fuisse Oracula sua de Messia, cum aliis de rebus agerent, pronuntiare. Interdum describenda sibi proponunt manera sua, quæ toleraverint mala, quas ad gentes functi sint legationes, quas tulerint persecutiones; deinde, veluti gradu facto, ad vitam, mortem, Passionem Messie ascendant. Nec raro illis quidem vel oblata semel occasione id accidisse constat, sed veluti certam eam legem, ac methodum constituunt. Id olim S. Hieronymo cæterisque deinde Commentatoribus observatum (n). Sapientissimus ille æquè ac sanctissimus Scripturarum Interpretes, illud etiam in Prophetis observatum promittit in cap. 1. Malachie: *Sic futurorum texant vaticinium, ut præsentis tempus non deserant.* Vaticinia igitur imminentes rerum eventus ita spectant, ut simul etiam futura prospiciant; quo scilicet eventu præsentium rerum, hinc sibi de futuris atque remotissimis conciliant.

Hæc generatim de vaticiniis Prophetarum observata ad præsentis argumentum accommodanda sunt. Intendens Propheta pignus aliquod futurae liberationis Regi exhibere, oriturum filium in hujus rei argumentum prænuñciat; quem planè filium ante quam à bono malo præcitate distinguere possit, promissa Regni felicitas consequeretur. Sed plus aliquid deponendi animis Regi pollicetur Propheta: futuram nempe dicit, ut Messias à parente Virgine oriatur; deinde vix delibatum illud argumentum in fulguris morem subito deserens, iterum ad natalitia filii sui, veluti pignus demum implendi oraculi, regreditur. Emmanuel sive Messias potissimas Prophetæ meditationes occupat; expectationem verò, & mentem Regis & populi atripit vaticinio prædictus ejusdem Isaie filius. Nihil duobus hæc natalitia commune; nisi si forte filius Prophetæ tanquam oblata aliqua occasio habeatur, ut oraculum de Messia præter naturæ leges siguendo promeretur.

Solent plerumque Prophetæ de argumento aliquo historico & literali agentes, opportunam capere occasionem, ut de Messia aliquid prodant. Isaías planè contrarius, annuntiatis prius natalitis Jesu Christi à Virgine parente, recidit tandem ad filium suum, veluti pignus futurae liberationis Juda promissum. In hoc planè ejus vaticinium à cæteris omnibus distinguitur, quod pluribus negotiis faceffere in attingenda mente Prophetæ visum est. Cum autem Vates ceu fulgure aliquo exhibitio, quamquam aliquot vivido & luminoso, Messiam indicasset, metu ne quis fortè minus advertens deciperetur, in idem identidem argumentum recidit, novos semper illius characteres depromens, quibus scilicet tan-

dem Messias ab omnibus agnoscat. Hanc enim Deum fortem, Principem pacis in equitate, & iustitia constitutum solum tenentem quod in æternum maneret, appellat. Quis, rogo, non Messiam à cæteris omnibus distinctum agnoscat?

Possunt igitur verba illa: *Virgo concipiet & pariet, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, sive absoluto aliquo sensu & à reliquo contextu divulso spectari, nec alteri tunc omnino quam Messia à Virgine Parente nato quadrabit; sive cum reliquo sermonis contextu, & cum oraculo de filio Isaie conjuncta, & tunc planè, ut de Messia prolata agnoscamus, atque alterum planè spectare, quam qui reliquo ejusdem capitis, & cæterorum subsequentium contextu præfertur, solà Jesu Christi, Apostolorum, & Patrum Ecclesiæ autoritate persuadebimur. Porro vaticinium illud ex his reputandum; quorum duplex est sensus, alter ad literam, alter traditione indicatus; de quibus alter ab eventu post remotum aliquod tempus implendo pendet, alter mox complendus expectatur. Eo semel nullo, duos sub nomine Emmanuelis expressos viros agnoscamus oportet, hunc planè ad literam proditum, nempe Messiam, alterum sermonis contextu indicatum, nempe filium Isaie.

Ille Deum habet patrem, matrem Virginem, atque totius humani generis salutem operaturus est; hic à Propheta & Prophetis natus, divinarum promissionum pignus est & argumentum. Quod in eo vaticinio agnoscamus, id in omnibus metaphoris & allegoriis spectatur, ut duplex sub earum vocibus sensus lateat. Cum dicimus e. g. *salmen belli*, duo quædam grammaticali sensu planè discrepantia exprimitur, quæ tamen in unam ideam strenui alicuius militis junguntur.

Quamquam aliam in velle viam in expositione ejusdem prophetie Patres Ecclesiæ videntur, quam quæ vulgo hodie à nostris Commentatoribus tenetur; non id tamen reputandum est, quasi inter se utrique committantur, vel Ecclesiæ in eo argumento aliquid variasse credatur. Unà semper constantique sententiâ tenuit Ecclesiæ, vaticinium illud Jesu Christi à Virgine parente factum exprimere; sed Patres, quibus solemne erat sensui literali figuratum conjugere, de re esse censuerunt, si figuratum æquè ad omnem Prophetæ contextum extenderent; omnia de Messia, illa etiam quæ ad literam filium Prophetæ designabant, interpretantes. Paria in aliarum rerum interpretatione servarunt. Semel persuasi Salomonem Messia typum exhibere, omnia, quæ ad literam ad Regem illum referebantur, figurato sensu de Jesu Christo exposuerunt. Non est igitur cur invidia in nos creetur, quasi invicem repugnantia promamus, si literalis sensui inhaerentes, ea quæ de filio Isaie apertissime pronuntiata esse intelligimus, illi vidicantes, nihil Jesu Christo tribuamus, præter ea, quæ litera demonstrante de illo prolata esse noscuntur. Nec tamen planè negamus, quæ historico sensu filium Isaie produnt, per figuram Jesu Christo convenire, quemad-

mo-

modum & Patres interpretati sunt.

Utro autem fatemur, Achaz cæterosque populos Prophetam auscultantes, totos in expectatione filii Prophetæ occupatos fuisse; sed horum in ea re mentem sequi quis cogit? Quin & verba ipsa Prophetæ ad alia deducunt. Cum enim de partu foeminae conjugatae agendum est, an fortè illa phrasi utimur: *Virgo concipiet & pariet filium?* Et si Emmanuel idem est vir vocatus postea: *Velociter spolia detrahe*; ut quid sub nomine Emmanuelis promissus, cum postea in dias luminis auras venit, non idem Emmanuelis nomen à Patre suo obtinet? Quomodo in Isaia filium quadrare verba illa magnifica credi poterant: Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, qui sedebit super seculum David?

Licet autem Judæi Jesu Christo coævi, ceterique, qui ad lectionem Isaia se conferebant, non satis fortasse noscerent futurum, ut Messias à Deo satus Deus foret, atque à Virgine Parente nasceretur; mysterium tamen aliquod in illis verbis suspicatos constat: *Virgo concipiet & pariet filium*; ita enim de Jesu Christo locutus Joan. 7. 27. legimus. *Hunc scimus unde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* In ipso autem missionis sue exordio non sibi laborandum censuit Jesus Christus, ut totum Incarnationis & natalium suorum prodigium exponeret (o). Mysterium illud plures discipuli ejus ignorarunt, rati è parente Josepho proditisse. Cum S. Philippus se agnirum illum convenit, tanquam Prophetam habuit: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Propheta, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth* (p). Sola ejus inspecta prodigia totam illi Messia opinionem conciliabant, neque consilere ea de re singulas Oraculorum partes opus fuit; pro datâ enim occasione, tandem referendæ fuerant. Quare opportunum ejus rei tempus expectandum erat. Tandem S. Matthæi Evangelium veluti reducto velo totum Oraculum expandit, fidei dogma constituit (q). Ante id temporis res erat pluribus quidem inter fideles in ambiguo posita: excuti dubia oportebat longâ miraculorum successione. Invehi mysterium illud primò decebat sub connubii velamenti occultatum; atque ipse tandem Mariæ conjux testis comparandus erat virginitatis Sponsæ suæ, unde totum generationis Jesu Christi prodigium peteretur. Hanc Messia parentem nullo ligandam conjugio nunquam Prophetæ revelarunt; nec virginitas & connubium duo sunt inter se repugnantia.

Traditione è præcis Patribus acceptâ asserit S. Chrysostomus [r], speciali providentiæ suæ consilio noluisse Deum, ut statim Judæis parentis suæ & prodigiöse generationis arcanum proderetur, cui tam sublimi veritati ferendæ nunquam adhuc pares fuissent. Satis igitur habuit, si primò Jesum promeret tanquam filium Joseph & à familia David hæredem; reliquis ad opportunitatem temporis reservatis. Porro veteres istos Patres non alios

Dissert. Calmet. Tom. I

facile cenfeo quam S. Ignatium Martyrem Episcopum Antiochenum epist. ad Philadelph. Origenem in Luc. hom. 6. & fortè S. Basilium hom. de humana Christi gener. apud quos paria legas. Docent etiam S. Hilarius in Matt. can. 1. S. Ambrosius l. 2. in Luc. de instit. Virg. cap. 6. alique plures (s), id commississe Deum, ut Virgo alioquin puella, quam illibatam semper virginitatis florem servaturam norat, viro elocaretur, quò scilicet generationis Messia arcanum ipsos Dæmones lateret, nihilque eo partu honor Mariæ periclitaretur, utpote sub velamenti conjugii occultato: prodigiis enim Filii Virginitate Mariæ nondum revelatâ, quid aliud quam foemina corruptissima haberetur?

Oraculum igitur generationem Messia à Virgine parente prænuñcians, non ita erat omnibus exploratum, ut ea veritas neminem lateret. Id enim homines si vulgò noscent, invidiam eâ de re in Messiam creassent, quem ex utroque parente genitum autumabant; nec id unquam commississet Jesus Christus, ut patrem suum appellerent Josephum, nec matrem suam voluisset communem aliquam foeminam crederent, uxorem Josephi, quæ connubii sui fructum Jesum Christum genuisset. Nec tamen id etiam habebant exploratum, communi scilicet hominum viâ Messiam in mundum venturum fuisse; vix enim alioqui se continuissent Judæi, quin rejiciendi Evangelii inde argumenta ducerent, quòd natus in illo Jesus Christus à Virgine parente, contra id quod de Messia futurum credebant, legeretur. Res igitur erat, sicut & aliæ plures, ambigua, quam longa rerum eventuumque series tandem explicasset. Ita planè accidit, ut plurimum oraculorum, quæ repugnantia inter se & vix intellectui pervia vaticinari videbantur, veritas tandem adventu Jesu Christi, ejus vitâ, passione, & morte in apertum produceretur. Nihil sanè aliud potuit in causa fuisse Apostolis, ne Mariæ virginitatem, atque prodigiösam Jesu Christi generationem depromerent, nec ferrent illustre veritati testimonium, Deoque gloriam conciliarent. Omnes enim humanae prudentiæ leges jubebant, ingrati veritatem silentio suppressi, ne fortè propagationi fidei in Judæos, & Paganos obstaculum poneretur.

Inter Judæos recentiores non satis de generatione Messia à parente Virgine convenit; alii enim pro illa, numerus sanè major contra illam productur. Laudantur Rabbi Hunna, & Josue [t], qui ex vaticinio Jerem. 31. 22. *Fœmina circumdabit virum*, hanc Parenti Messia dotem asserant. Nullum habitura exemplum inter homines Messia natalitia R. Jodem in illud Psal. 84. 12. apud Galatinum lib. 8. cap. 2. *Veritas de terra orta est, & iustitia de Cælo prospexit*, scribens affirmavit, quòd scilicet, ait ille, sine corporum commitione generari illum contingeret; & R. Barachias in illud Psal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te*, docet sine coitu humano, sed Divino quodam prodigio Messiam oriturum. Frustra Rabbini

Y y

om-

S Hieron. in Matt. Theoph. in Matt. Bernard. super Missus est.

t Vide Galat. l. 1. c. 14. Sanctem Pagnin. Comment. in Ps. apud P. Landriani tract. 1. de Virginitate partu c. 4. &c. Mediolani 1639.

n in Jerem. 8. & Isa. 2. & 20. & in Nabum 2. Hinc vel maxime obscuri sunt Prophetæ, quod repente dum aliud agitur, ad aliam persona mutatur.

o Bossuet expl. in illud Isaia Oraculum pag. 3. 9. 17.

p Jo. 1. 45.

q Bossuet loc. cit. pag. 20. 26.

r Chrys. hom. 3. in Matth.



omnia hæc testimonia suspitionis accusant, ab impostore aliquo, sive Judæo ad Christianorum partes deficiente, procusa comminantes.

P. D. Ignatius Landriani Olivetanus in Opere de Virginis partu à se scripto tract. 1. cap. 4. frustra se in scriptis Judæorum laudata à Galatino aliisque testimonia quæfivisse fatetur, ratus proinde operâ recentiorum Rabbīnorum post Galatinum ex scriptis illis erasa, nuspiam deinceps apparuisse. Ipse verò alia nonnulla è Judæis Cabalisticis in medium adducit, obscurissima alioqui, & quæ vix præterquam Hebraicè scripta, intelligerentur; versantur enim omnia in vocibus & literis Hebraicis variè inter se comparatis. Frustra etiam, etsi maxime possemus, à nobis hic omnia exponerentur, cum soli Judæi Cabalisticæ his possent, veluti argumento, uti vocant, ad hominem, revinci; quoad cæteros Rabbīnos nihil valent nisi res, & literalia documenta.

Sed nobis sanè consultissimum simul & expeditissimum videretur, si hæc omnibus in medio relictis, ad alia nos conferremus. Quando enim de consensu quorundam parvo numero Rabbīnorum constaret, levis tantum ex ea re præsumptio resultare in alios posset, quibus vaticinium illud aliter ac nos, exponere, & scripta illa à nobis opposita suspitionis arguere visum est. Ad rem magis contulisse credimus auctoritatem Septuaginta, & Caldæi, vetustissimorum omnium, qui nostrâ ætate supersunt, Authorum apud Judæos. Illi enim reddunt æquè ac nos: *Virgo concipiet & pariet.* Præter hæc, Veteres quidam RR. suppetunt in Talmud ad Messiam referentes caput. 9. Isaie, quod sanè continuatio est sermonis cap. 7. & 8. ubi de eodem argumento. Tandem paria sensisse Judæos suorum temporum Tertullianus lib. contra Jud. cap. 9. & Eusebius Cæsariensis Demonstr. lib. 7. cap. 7. quarti seculi Scriptor, pro suâ quisque ætate testatur. Hæc Judæis bonæ fidei revincendis sufficerent; si enim obstinatâ mentis pœvicaciâ rem agere voluerint, nihil erit quod contra illos valeat.

Porro systema illud jamdiu à Judæis excogitatum, nimirum infantem promissum cap. 7. 14. 15. cujus deinde natalitia narrantur cap. 9. additis magnificis, & amplissimis titulis, alterum non indicari quàm Ezechiam filium Achaz, systema, inquam, illud falsitatis nullo negotio arguitur. Natus est enim Ezechias 8. sive 10. annis antequam pater Regni Juda solum ascenderet; regnasse autem illum constat, cum ab Isaia oraculum Emmanuelis mox orituri accepit. Frustra igitur Isaïas ejus natalitia vaticinaretur. Narrante Scriptura scimus, Achaz non nisi 16. annis regnasse; sicut & patrium Regnum adivisse Ezechiam 15. annorum ætatem agentem; quare ante obtentum à Patre Regnum natum illum constat. Porro Oraculum hoc Isaïæ ad primum sive secundum annum Achaz pertinet; ergo &c. Fateor quidem, Scripturæ verbis subobscurè significari, alterum fuisse huic Regi filium, sed qui patriæ hæreditatis ju-

re Regnum adiret, solus legitur Ezechias. Quare Oraculum Isaïæ de filio (u), appellato *Principe pacis, qui super solum David sedebit, & corroborabit Regnum suum in judicio & justitia usque in sempiternum;* non alteri potuisset quàm Ezechia quadrare. Legimus etiam 2. Par. 28. 3. de Achaz: *Lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel.* Ex his planè filiis nemo prophético vaticinio designatur.

Nec ego pœvicaciùs contenderim, vocem Hebræam *Alma* nunquam nisi virginem, planè talem designare: facilè concesserim abusione quâdam interdum usurpari de adolescentula, non quidem virginitate inspectâ sed ætate (x). Nullus tamen dubito, quin propria, & genuina hujus significatio sit, *Virgo*, nec alterum suppetit Hebræis vocabulum, quo innupta puella expressius designetur. Derivatur *Alma* è radice, quæ sonat occultum & clausum esse; mos est enim Judæis, in toto pariter Oriente familiaris, ut in ædium parte, quæ matribus illarum assignantur, puellæ Virgines detineantur, veluti in claustris. Id sexcentis Scripturæ locis proditur. Amnon filius David fororem suam ex eadem matre satam deperiens, nullam opiatâ puellâ spem potiundi relinqui sibi querebatur (y), quia cum esset virgo, arduum censebat quippiam inhonestè agere cum illa: puellæ scilicet arcâ custodiâ & vitis imperviâ in ædibus clausæ detinebantur.

Hinc 2. Macc. 3. 19. sicut & 3. Macc. 1. 18. puellæ virgines *conclusæ* appellantur, Eodemque utitur epitheto Eccl. 9. In secretioribus ædium penetralibus detineri illas, continentes se ne pudorem suum viris proderent, Philo testatur (z). Observat insuper S. Hieronymus, Isaïam in eo Oraculo abstulisse à voce *puella*, quæ de puella tantum usurpatur; sed usum voce *alma*, quæ virginem designat, nunquam in apertum oculis hominum prodeuntem (a). Hæc est genuina significatio vocis in lingua Punica, quam eandem origine cum Hebræa, & Phœnicia scimus. Sanior & universa ferè veterum Interpretum, ac recentiorum turba reddit *Virginem*; & Aquila, qui semel & iterum veritâ *adolescentulam*, Genesis tamen cap. 30. 19. reddidit *Abconsam*. Jure igitur meritoque nos eandem retinemus significationem, donec de contrario non constiterit.

Reapse enim quanquam Latinum *Virgo*, sonet quandoque foeminam non virginem, sicut & puella foeminam nuptam; nemo tamen satis ex his convincere poterit, veram & genuinam ambarum vocum significationem non esse hujus quidem Virginem reapse talem, alterius adolescentulam nondum viro elocatum. Solus tantum verborum contextus aliam geminis hæc vocabulis significationem conciliare potuisset. Ita Judith 16. 14. legimus: *Filii puellarum compunxerunt eos:* & Joel. 1. 8. *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ (b)*. Utrinque planè sermo est de foeminis jam nuptis. Apud Virgilium Pasiphæ trium liberorum mater, virgo appellatur Eclog. 6.

u Isaï. 9. 6. 7.

x Prover. 30. 19. *Viam viri in adolescentia.* Hebr. in adolescentula, *Behalma*.

y 2. Reg. 13. 2. *Ki bebulab hi.*

z Contra Flac. & de Specul. lib. Legib.

a Hieron. in Isaï. 7. Ergo *Alma* non solum puella, sed cum epithetâ *Virgo* abscondita dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentia custodita sit.

b eli Kilbulab.

Ab virgo infelix, qua te dementia capis?

Et Georg. 4. de Euridice uxore Orphei.

Immanem ante pedes hydrum moritura puella

Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

e Horat. lib. 1. Ode 29. Quæ tibi Virginum, Sponso, barbara ferviet? Varro de rusticis, lib. 2. cap. 10. Nec non etiam hoc, quæ Virgines ibi appellant, annorum 20. quibus mos eorum non denegavit ante nuptias, ut succumberent quibus vellent &c. Aul. Gell. lib. 12. cap. 1. Non raro foeminas statim à puerperio puellas nuncupat. Et Virgil. Georg. 1. 3. de Hero uxore Leandri, Nec moritura super crudeli funere Virgo, d Galat. 4. 4. e Luc. 1. 28. Vide etiam ver. 42.

rum Regi pollicetur. illud nempe, de foetu & partu Virginis. A' vero igitur non abhorret, totam prodigii expectationem ad Virginis partum referendam esse. Idem colligas ex inspecto sermonis contextu; ubique enim legentibus ingeritur infans homine superior, & prodigio natus.

Si verò Judæorum Interpretes vetustissimi, nempe Septuaginta, & Paraphrases Caldæus consulantur, eos quidem lego Hebræum *Alma* reddere Virginem. Inclinant in eam sententiam de ortu Messie à Virgine parente Judæi Jesu Christo coævi. Apostoli, & Evangelistæ, quamquam alioqui nullâ ad id cogentur utilitate, altè tamen & usque ad effusionem sanguinis Mariæ Virginitatem proclamant. Josephus Mariæ conjux, qui injurias thalami sui æquiori animo ferre minime pateretur, qui pariter nihil è re sua reputasset, de Virginitate uxoris testimonium dicere, qui ne visis quidem maximis Jesu Christi prodigiis, & ante assertum Jesu Christo Messie titulum obierat; Josephus, inquam, omnium primus Mariæ integritatem, & Jesu Christi prodigiosam generationem testimonio suo asseruit. Mahometus ille virginitatis osor ne refragari quidem huic veritati audeat. Asserit, & tanquam dogma fidei credendum proponit Ecclesia Christiana, non aliam esse hujus Oraculi significationem omni remoto dubio persuasa. Hæc satis superque, quò docilis & præjudiciis vacua mens persuadeatur.

Plura, si ad rem nostram opus esset, exempla congereremus (c). His planè satis demonstratum arbitror, abusione quâdam voces aliquas aliter usurpari, quamquam alioqui asertæ sint & minime ambigua significationis. Ita etiam S. Paulus, quamquam alioqui natum è Virgine Christum sciret, scripsit nihilominus de illo: *Natum ex muliere* [d]. Et S. Lucas de Virginitate Mariæ alioqui optimè meritis, salutantem in hæc verba Mariam Angelum Gabrielem inducit: *Benedicta tu inter mulieres (e)*. Quò igitur genuinam sententiæ alicujus mentem assequamur, textus prius, deinde contextus, idea & mens Authoris expendenda, in quibus circumstantiis rem scripserit; demum illi adhibendi in consultationem, qui meliùs nosse earumdem vocum significationem præsumuntur. Nobis autem favent hæc omnia. Vox *Alma* sonat apertissimè & constanter Virginem. Fateor quidem jungi illi sententiæ: *Concipiet, & pariet*; sed divino prodigio fieri poterat, ut eadem Virgo simul esset & mater. Favent etiam huic significationi ipse temporis circumstantia. Isaïas prodigium se aliquid exhibitu-

# DISSERTATIO

## DE DISSIPATO EXERCITU SENNACHERIB. Isaï 37. 36.

**E**Xcusso Assyriacæ dominationis jugo ab Ezechia, Sennacherib Rex Assyriorum in Judæam cum exercitu venit (\*). Quam tamen antequam redigendam in potestatem assumere, arma prius inferenda duxit in Ægyptum, quocum, sicut etiam cum Rege Chus, Ezechias belli societatem iniverat. Post assectam igitur triennio Ægyptum [a], arma vertens in Judæos, potissimas regionis Urbes edomuit. Ezechias interim prostratam Ægyptum foederatam suam cernens; pacis conditiones à Sennacheribo quæsturos legatos misit. Conventum inter illos, ut Assyrii, reductis, armis 300. talentorum argenti (b), & 30. talentorum auri (c) summam reciperent. Verùm post solutam à Judæis pecuniam, Assyrius missis tribus Præfectis, Rabface, Rabfari & Tarthano, Judæis deditionem injunxit. Regis iussa Rabfaces insolenter aded exposuit, Deo oblocutus, ut exhorrens & confertnatus Ezechias, scissis vestibus & sacco indutus ad Templum Domini opem à Domino impetraturus accederet; simul jubens Isaïam. Prophetam acciri, quem de re tota certiore faceret. Propheta annunciandum Regi mandavit, cur terrore minarum Sennacherib commoveretur nihil esse; sciret enim, coactum hostem rebus suis consulere, Jerosolymam relicturum intactam; quin, & in regionem suam profugum, gladio tandem perimendum.

Rabfaces quidem nullo ab hostibus accepto responso, ad Regem se contulit, qui solutâ obsidione Lachis, Lobnam Urbem è Meridionalibus Juda tentabat. Simul autem audiens Sennacherib, Tharacam Regem Chus, nempe illius Arabiæ partis, quæ ad inferiorem Ægyptum porrecta, plagam Orientalem extremæ oræ maris rubri tenet, Tharacam, inquam, auxiliares copias ad Ezechiam ducere (d); occurrendum hostibus duxit, scriptis tamen prius literis ad Ezechiam minacibus oppidò, & blas-

\* 4. Reg. 17.

a Beros. Apud Josephum Antiq. lib. 10. cap. 2. Herod. lib. 2. cap. 142. b Reddunt 1260156. Libras, & 5. Solidos Gallie. c Reddunt 2085937. Libras, & 10. Solidos Gallie.

d 4. Reg. 19. 90. 10.

Y y y z phe.